



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. III. Congregationes Canonicorum S. Georgij in Alga, & S. Spiritus apud Venetos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

## CAPVT III.

*Congregationes Canonicorum S. Georgij  
in Alga, & S. Spiritus apud  
Venetos.*

**V**TUTUR isti veste cœlestini seu azurini coloris. Primi huic familiæ nomen dederi *Antonius Corarius*, *Gregorij X I I.* Papæ nepos, & *Gabriel Gondelmerius*, qui post Eugenius I V. Papa fuit, ut in huius vita Ciacconius commemorat. Nonnulli scribunt hos Canonicos Georgianos militare sub regula S. Augustini. Paulus Morifus in fine libri 3. dicit eos viuere solitos ex præscripto quarundam constitutionum priuatarum, nec solennem emisisse professionem ante annum Christi millesimum quingentesimum septuagesimum, quo id Pius V. Papa ipsis iniunxit. Consule & eumdem Morifum lib. I. cap. 43. quo loco adserit, Congregationem hanc S. Georgij primùm incohataam esse à dicto Antonio Corario, postea vero auctam atque illustratam à S. Laurentio Iustiniano Patriarcha Veneto, iuxta inscriptionem sepulchralem eiusdem Corarij, quæ talis legitur ad D. Georgij in Alga: Sepulchrum p̄iissimi Patris D. Antonij Corarij. Beatae memorie Episcopi Ostiensis, Cardinalis Boloniensis, fundatoris huius Congregationis: qui obiit anno 1445. die 29. Ianuarij. Orate pro eo semper.

Elt

Est & altera Congregatio Canonicorum Regularium apud Venetos, quæ à Sancto Spiritu nomen habet, per Gabrielem Spoletinum anno 1415. instituta.

## CAPUT IV.

*Ordinis Præmonstratensis origo.*

Inter Canonicos Regulares etiam recentur Præmonstratenses, à S. Norberto Archiepiscopo Magdeburgensi anno 1120. instituti, & à Præmonstrato, primò illius instituti cœnobio, in diocesi Laudunensi sito sicuti. Exstat huius Ordinis Chronicon à nobis magno labore concinnatum, & Coloniæ anno 1613. publicatum: ad quod curiosū Letorem remittimus. Sanctis porrò ac Beatis, à me dicto in Chronico recensitis, isti poterunt adiungi.

B. *Ludouicus Comes*, & fundator Abbatiae Arensteinianæ, in diocesi Treuerensi, ibidem Conuersus, an. 1185. obijt, VIII. Kal. Nouembris. Eius vitam edidit Christophorus Brovverus Societatis Iesu, Mogutiæ an. 1616. in libro, cui titulus, *Sidera Illustrum, & SS. virorum Germanicæ.*

B. *Garenbertus*, Abbas Montis S. Martini, in diocesi Cameracensi: de quo vide Molanum in Natalibus SS. Belgij.

B. *Elco*, Liaucama cognométo, Abbas Lidumensis, in Frisia Occidentali, & diocesi Leovvardiensi, an. 1332. martyrio coronatus tri-duo ante festum Annunciationis Deip.